

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3959

Auteur(s) : Philippe III le Hardi, France (roi)

Bénéficiaire(s) : Cressy, Notre-Dame, dépendance Saint-Lô de Rouen (prieuré)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1284, juillet

Lieu d'émission : Paris

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Philippe [III], roi de France, accorde au prieuré de Cressy de posséder ses acquêts faites dans le baillage de Caux.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Harde l (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 1031, p. 267.

Texte établi d'après a

Philippus, Dei gratia, Franchorum rex. Notum facimus universis, tam presentibus quam futuris, quod, cum prior de Cressiaco, nomine prioratus sui predicti, fecerit acquisita in baillivatu nostro Caletensi, super retinendis sibi perpetuo et dicto prioratu suo acquisitis per ipsum priorem de Cressiaco in retrofeodis nostris que sunt hec, videlicet : in feodo Johannis de Moiac, militis, domini temporalis de Cressiaco, sexdecim solidi turonenses et unum sextarium ordeï annui redditus, super tribus virgatis, una acra et quinque virgatis terre quas tenet Rogerus le Vavassier ; item, quatuor mine avene annui redditus, super duabus acris terre, quas Jordanus de Mara tenet a dicto milite ; item, sexdecim mine et unum boissellum avene annui redditus, de sex acris terre, quas tenet Guillelmus de Sana ; item, sex mine avene annui redditus, super duabus acris et octo perticis terre, quas tenet Gaufridus Osber ; item, decem et septem solidi sex denarii, tres galline et tringinta ova annui redditus, quos idem prior debebat militi antedicto ; item, sex solidi annui redditus, super tribus acrls et tribus virgatis terre, quos debebat Guillelmus L'Enfant, et omnia nemora que dictus Johannes, miles, habebat in parrochia de Cressiaco, excepto nemore domine Philippe de Dolt, scilicet Haia Richeri, sita juxta terram Guillelmi dicti L'Enfant, ex una parte, et terram dicti Johannis de Moy, et Johannis Hungues, ex altera, solvendo quolibet anno a dicto priore seu ejus successoribus quatuor libras dicti militis heredibus, et nobis viginti sex solidos et octo denarios turonenses annui redditus, quos viginti sex solidos et octo denarios dictus miles annis singulis nobis solvere tenebatur, quam sommam ratam et gratam habentes, volumus et concedimus, quantum in nobis est, quod dictus prior et successores in dicto prioratu dicta acquisita tenere possint im perpetuum et pacifice possidere, sine contradictione aliqua et voluntatem suam ponendi, salvo in aliis jure nostro et jure quolibet alieno. Quod ut ratum, etc. In fidem quorum, presentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parrisiis anno Domini millesimo CC° octogesimo quarto, mense julio.